



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1417.

toribus regis Aragonum, in medio surgens, dictumque decretum in nationibus non fuisse positum allegans, de nullitate ipsius decreti fuit protestatus: & exposit nationum quatuor praesidentes expresse dixerunt & retulerunt, huiusmodi decretum in nationibus fore lectum, & ipsis nationibus placuisse ut legeretur. Et tunc reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis praesidens, nomine totius Synodi super omnibus praemissis, Placet, respondit.

SESSIO XXXIX.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosextimo, indictione decima, die vero Sabbati nona mensis Octobris, Constantiae in ecclesia maiori in loco solito fuit tenta & celebrata sessio publica, in qua reuerendissimus pater dominus archiepiscopus Viennensis Missam de Spiritu sancto celebravit, reuerendissimus vero pater & dominus, dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessioni praesedit. Lectisque litanis & aliis deuotis orationibus legi solitis, cum euangelio secundum Lucam: *Estote misericordes, sicut & Pater uester misericors* Luc. 6. est: reuerendissimus pater dominus Bartholomaeus archiepiscopus Mediolanensis ambonem ascendit, legit & publicauit decreta quae sequuntur.

De Conciliis generalibus, & prouisione erga futura schismata.

Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici cultura est praecipua, quae vepres, spinas & tribulos haesum & errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimae fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus praemissa disseminat atque fouet: haec praeteritorum temporum recordatio & praesentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Eapropter hoc edicto perpetuo fancimus, decernimus & ordinamus, ut amodo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum a fine huius Concilii in quinquennium immediate sequens, secundum vero a fine illius immediate sequentis Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebren-

tur in locis quæ summus pontifex per mensem ante finem cuiuslibet Concilii, approbante & consentiente Concilio, vel in eius defectum, ipsum Concilium deputare & assignare teneatur, vt sic per quamdam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur: quem terminum liceat summo pontifici de fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio ob emergentes forte casus abbreviare: sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum absque euidenti necessitate non mutet. Sed si forte casus aliquis occurreret, quo necessarium videretur, ipsum locum mutari, puta obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis, tunc liceat summo pontifici de prædictorum fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, sub eadem tamen natione, subrogare, nisi idem vel simile impedimentum per totam istam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum huiusmodi Concilium poterit conuocari: ad quem prælati, & alii qui ad Concilium solent conuocari, accedere teneantur, ac si a principio locus ille fuisset deputatus. Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur summus pontifex legitime & solenniter publicare & intimare, vt ad ipsum Concilium celebrandum prædicti possint statuto termino conuenire.

Prouisio aduersus schismata futura.

Si vero (quod absit) in futurum schisma oriri contingeret, ita quod duo vel plures pro summis pontificibus se gererent, a die qua ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumpserint, seu ministrare cœperint, intelligatur ipso iure terminus Concilii tunc forte ultra annum pendens, ad annum proximum abbreviatus. Ad quod omnes prælati & ceteri qui ad Concilium ire tenentur, sub pœnis iuris & aliis per Concilium imponendis, absque alia vocatione conueniant, nec non imperator, ceterique reges & principes vel personaliter, vel per solennes nuntios, tamquam ad commune incendium extinguendum per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi exnunc exhortati, concurrant, & quilibet ipsorum pro Romano pontifice se

ANNO
CHRISTI
1472

gerentium, infra mensem a die qua scientiam habere potuit, alium vel alios assumpsisse papatus insignia, vel in papatu administrasse, teneatur sub interminatione maledictionis aeternae & amissione iuris, si quod forte sibi quaesitum esset in papatu, quam ipso facto incurrat, & ultra hoc ad quaslibet dignitates actiue & passiuæ sit inhabilis, Concilium ipsum ad terminum anni prædictum in loco deputato prius indicere & publicare ad celebrandum, & per suas literas competitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos prouocando ad causam, & ceteris prælatis ac principibus, quantum in eo fuerit, intimare, nec non termino præfixo sub pœnis prædictis ad Concilii locum personaliter se transferre, nec inde discedere, donec per Concilium causa schismatis plenarie sit finita: hoc adiuncto, quod nullus ipsorum contententium de papatu in ipso Concilio ut papa præsideat: quinimo ut tanto liberius & citius ecclesia unico & indubitato pastore gaudeat, sint ipsi omnes de papatu contententes, postquam ipsum Concilium inceptum fuerit, auctoritate huius Synodi ipso iure ab administratione suspensi, nec eis, aut eorum alteri, donec causa ipsa per Concilium terminata fuerit, quomodolibet a quocumque sub pœna fautoriae schismatis obediatur. Quod si forte electionem Romani pontificis per metum (qui caderet in constantem virum) seu impressionem de cetero fieri contingat, ipsum decernimus nullius efficaciam vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari, vel approbari: non tamen liceat cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renuntiet, vel decedat, donec per generale Concilium de electione illa fuerit iudicatum. Et si procedant, nulla sit electio ipso iure: sintque secundo eligentes & electus (si ipse papatui se ingesserit) omni dignitate & statu etiam cardinalatus & pontificali ipso iure priuati, & inhabiles de cetero ad eosdem, ac etiam ad papalem. Nec etiam in aliquo eidem secundo electo, ut papæ, sub pœna fautoriae schismatis obediatur quoquo modo: & eo casu Concilium de electione papæ prouideat illa vice: sed liceat, imo teneantur electores omnes, aut maior pars ipsorum, quam cito sine personarum periculo poterunt, (etiam si periculum omnium bonorum immineat) transferre se ad locum tutum,

Concil. Tom. 29.

D d d d ij

& metum prædictum allegare coram notariis publicis & notabilibus personis ac multitudine in loco insigni: ita tamen, quod allegantes metum huiusmodi habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem & qualitatem dicti metus, & iurare solenniter, quod metus taliter allegatus sit verus, & credunt se ipsum posse probare, & quod per malitiam seu calumniam, huiusmodi metum non proponunt, nec ultra proximum futurum Concilium vlllo modo possit differri allegatio dicti metus. Teneantur insuper postquam se transtulerint, & metum allegauerint, modo prædicto prouocare sic electum ad Concilium: quod Concilium si ultra annum pendeat a die prouocationis huiusmodi, intelligatur ad annum, vt supra, ipso iure terminus breuiatus. Et nihilo minus electus ipse sub pœnis prædictis, & cardinales prouocantes sub pœna amissionis cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem a die prouocationis Concilium ipsum (vt supra dicitur) indicere & publicare, & quam citius poterunt intimare, ac cardinales ipsi, ceterique electores ad locum Concilii tempore conuenienti personaliter se transferre, & vsque ad finem causæ expectare. Teneantur quoque prælati, ceterique vt supra, ad conuocationem cardinalium tantum, si forte sic electus conuocare cessaret, accedere: qui sic electus in Concilio ipso non præsideat, quinimo sit a termino initiandi Concilii ipso iure ab omni administratione papatus suspensus, nec sibi a quoquam sub pœna fautoriæ schismatis quomodolibet obediatur. Quod si infra annum ante diem indicti Concilii contingant suprædicti casus, videlicet quod plures gerant se pro papa, vel quod vnus per metum vel impressionem eligatur, censeantur ipso iure tam se gerentes pro papa, quam electus per metum seu impressionem, & cardinales ad dictum Concilium prouocati, teneanturque in ipso Concilio comparere personaliter, causam exponere, & iudicium Concilii expectare. Sed si dictis casibus occurrentibus, contingat forte casus aliquis, quo necessarium sit locum Concilii mutare, vt obsidionis, guerræ aut pestis, vel similis, teneantur nihilo minus tam omnes suprædicti, quam omnes prælati, ceterique qui ad Concilium ire tenentur, ad locum proximiorum (vt præ-

ANNO
 CHRISTI
 1417.

mittitur) qui sit habilis ad Concilium, conuenire. Possit-
 que maior pars praelatorum, qui infra mensem ad lo-
 cum certum declinauerint, illum sibi & aliis pro loco
 Concilii deputare. Concilium autem (vt praeferitur) con-
 uocatum & congregatum, de huiusmodi schismatis cau-
 sa cognoscens, & in contumacia electorum seu gerentium
 se pro papa, vel cardinalium (si forte venire neglexerint)
 litem dirimat, atque causam definiat, ac culpabiles in
 schismate procurando seu nutriendo, vel in administran-
 do seu obediendo, & administrantibus fauendo, seu con-
 tra interdictum superius eligendo, vel calumniose alle-
 gando metum, etiam ultra praedictas poenas, cuiuscum-
 que status, gradus aut praeminentiae existant, ecclesia-
 sticae, vel mundanae, sic puniat, vt vindictae rigor luceat
 ceteris in exemplum. Vt autem metus seu impressionis
 molestia in electione papae eo formidolosius euitetur, quo
 toti Christianitati lamentabilius eorum incussio seu fa-
 ctio perpetratur: ultra praedicta duximus specialiter sta-
 tuendum, quod si quis huiusmodi metum vel impressio-
 nem aut violentiam electoribus ipsis aut alicui ipsorum
 in electione papae intulerit, seu fecerit, aut fieri procura-
 uerit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium de-
 derit vel fauorem, facientes scienter receptauerit, vel de-
 fensauerit, aut negligens in executione poenarum inferius
 comminatarum extiterit, cuiuscumque status, gradus aut
 praeminentiae fuerit, etiam si imperiali, regali, pontifica-
 li, vel alia quauis ecclesiastica aut saeculari praefulgeat di-
 gnitate, illas poenas ipso facto incurrat, quae in constitutio-
 ne felicis recordationis Bonifacii papae octauae, quae inci-
 pit, Felicis, continentur, illisque effectualiter puniatur.
 Ciuitas vero (quod absit) etiam si vrbs Romana fuerit, seu
 alia quauis vniuersitas, quae talia facienti auxilium vel con-
 silium dederit, aut fauorem, vel infra mensem saltem tali-
 ter delinquentem (prout tanti facinoris enormitas exegerit
 & facultas ei adfuerit) non duxerit puniendum, eo ipso
 ecclesiastico subiaceat interdicto. Et nihilo minus praeter
 dictam urbem pontificalem (vt supra) sit dignitate priuatus,
 non obstantibus priuilegiis quibuscumque. Volumus in-
 super, quod in fine cuiuslibet generalis Concilii hoc decre-
 tum solenniter publicetur, nec non quandocumque &

D d d d iij

vbicumque Romani pontificis electio imminet facienda, ante ingressum conclavis legatur, & publice intimetur.

ANNO
CHRISTI
1417.

Forma de professione papæ facienda.

Quanto Romanus pontifex eminentiori inter mortales fungitur potestate, tanto clarioribus ipsum decet fulciri fidei vinculis, & sacramentorum ecclesiasticorum obseruandis ritibus alligari. Eapropter, vt in futurum Romanis pontificibus in suæ creationis primordiis & singulari splendore luceat plena fides, statuimus & ordinamus, quod deinceps quilibet in Romanum pontificem eligendus, antequam sua electio publicetur, coram suis electoribus publice confessionem & professionem faciat infra scriptas.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii
& Spiritus sancti. Amen.*

Anno a natiuitate Domini millesimo, &c. ego N. electus in papam, omnipotenti Deo, cuius ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Petro apostolorum principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere sanctam fidem catholicam, secundum traditiones apostolorum, generalium Conciliorum & aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo Conciliorum vniuersalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Calchedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nicæni, octaui quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis & Viennensis generalium etiam Conciliorum. Et illam fidem vsque ad vnum apicem immutatam seruare, & vsque ad animam & sanguinem confirmare, defendere & prædicare, ritum quoque pariter sacramentorum ecclesiasticorum catholicæ ecclesiæ traditum, omnimode profèqui & obseruare. Hanc autem professionem & confessionem meam per notarium scriniarium sanctæ Romanæ ecclesiæ me iubente scriptam, propria manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo pura mente & deuota conscientia super tali altari, &c. sinceriter offero in præsentia talium, &c. Datum, &c.

Ne praelati transferantur inuiti.

Cum ex praelatorum translationibus ecclesie ipsae de quibus transferuntur, plerumque grauib in spiritualibus & temporalibus subiaceant dispendiis & iacturis, praelati quoque nonnunquam iura & libertates ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter vt alias prosequantur, ne ad importunitatem quorundam, quae sua & non quae Iesu Christi quaerentium, Romanus pontifex forsan vt homo facti nescius, in huiusmodi circumueniatur, aut alias leuiter inclinetur, praesentibus statuimus & ordinamus, inuitorum episcoporum & superiorum translationes absque magna & rationabili causa, quae vocata parte cognita fuerit & decisa de consilio sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, vel maioris partis eorundem, & cum subscriptione, de cetero fieri non debere. Inferiores vero, vt abbates, aliique perpetuo beneficiati, inuiti absque iusta & rationabili causa cognita amoueri seu priuari non debeant. Adicientes, quod in mutationibus abbatum subscriptio cardinalium interueniat, sicut in episcopis est praemissum, saluis constitutionibus, consuetudinibus & priuilegiis ecclesiarum, monasteriorum & ordinum quorumcumque.

De spoliis & procurationibus.

Cum per papam facta reseruatio & executio & perceptio procurationum, ordinariis & aliis inferioribus praelatis debitarum ratione visitationis, nec non & spoliiorum decedentium praelatorum, aliorumque clericorum, graua ecclesiis, monasteriis & aliis beneficiis, ecclesiasticisque personis afferant detrimenta, praesenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, & reipublicae accommodum, tales per papam reseruaciones, ac per collectores & alios auctoritate apostolica deputatos siue deputandos, exactiones seu perceptiones de cetero nullo modo fieri seu attentari, quinimo procuraciones huiusmodi quorumcumque praelatorum, cardinalium etiam, vel ipsius papae familiarium, officialium & aliorum quorumuis clericorum, in curia Romana vel extra, vbicumque & quandocumque decedentium, spolia seu bona eorum mortis

tempore reperta, plene & libere pertineant illis, & per illos recipiantur, quibus alias, præfatis referuationibus, mandatis & exactionibus cessantibus, competere & pertinere deberent, præfatis etiam inferioribus & aliis huiusmodi spoliatorum exactiones præter & contra iuris communis formam fieri interdiximus, constitutione felicis recordationis Bonifacii papæ octavi, quæ incipit, Præfenti, super hoc edita specialiter, in suo robore duratura. Post hæc autem venerabilis vir magister Petrus de Lomburga legit decretum tenoris subsequens.

ANNO
CHRISTI
1447.

Potestas definiendi possessorium causæ episcopatus Cumanensis.

Sacrofancta & generalis Synodus Constantiensis vniuersalem Dei ecclesiam repræsentans, venerabilibus fratribus * Placensi, Pistoriensi & Vaurenſi episcopis, quos * f. Pacii
alias ad audiendum causam & causas ac querelas ad nos deuolutas seu deductas, & deuoluendas seu deducendas, deputauimus etiam ecclesiarum cathedralium, vsque ad definitiuam sententiam exclusiue, quam in causis ipsarum ecclesiarum cathedralium nobis referuauimus, vt causam super possessorio iudicio ecclesiæ Cumanensis, & pertinentibus ad eandem, inter venerabilem fratrem Antonium episcopum Cumanensem agentem ex vna, & dilectos ecclesiæ filios canonicos & capitulum, & fratrem Franciscum de * Crinellis ordinis Minorum, pro electo * Cune-
dictæ ecclesiæ se gerentem, defendentes partibus ex altera, quæ coram ipsis pendet indecisa, habentes statum causæ huiusmodi pro sufficienter expresso, ac non valentes diuersis occupati negotiis finali decisioni eiusdem intendere finali sententia, vocatis secum aliquibus terminare valeant, plenariam concedimus facultatem. Quibus sic lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis præfatus nomine totius Concilii respondit per verbum, Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator prædictus nomine quo supra, & Xanthes advocatus nomine præfati domini fratris Antonii petiit a protonotariis & notariis huius sacri Concilii vnum vel plura, publicum aut publica, instrumentum seu instru-
menta

ANNO
CHRISTI
1417.

menta, præsentibus reuerendissimis dominis in Christo patribus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Ostiensi, Laudensi, de Vrfinis, Bononiensi, Hispano, episcopis; Venetiæ, Aquileiensi, Senensi, Placentino, Veronensi, Tricaricensi, Pisano, sancti Marci, de Chalanco, Rhemensis, de Fuxo, presbyteris; de Flisco, de Brankafis, de Columna & de Comitibus, diaconis cardinalibus; nec non egregiis viris dominis Augustino de Pisis, Dominico de Ponte, Ardecino de Nouaria sacri consistorii aduocato, & Luca de Flisco milite Ianuensi, aliisque dominorum regum, principum ac prælatorum ambasiatoribus, & aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XL.

DIE Sabbati trigesima supradicti mensis Octobris fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiensi. Pro cuius quidem sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Iordanus episcopus Albanensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, de Vrfinis vulgariter nuncupatus, Missam de Spiritu sancto celebravit: reuerendissimus vero dominus Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, pontificalibus indutus, huiusmodi sessioni præfedit. Lectisque litanis & aliis orationibus in sessionibus legi solitis, reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci presbyter cardinalis quædam decreta publice legit sub his verbis.

Reformationes fiendæ per papam una cum Concilio, antequam Concilium dissoluatur.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam representans, statuit & decernit, quod futurus Romanus pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam, secundum æquitatem & bonum regimen ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissoluatur, super materiis articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum, quæ sequuntur.

Concil. Tom. 29.

Eccc